De
cancro mammarum.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu gratiosi medicorum ordinis

in universitate literaria Christiana-Albertina

pro

summis utriusque medicinae honoribus

publice defendet

auctor

P. D. W. Quist

Altonaviensis.

Kiliae

typis C. F. Mohr.

1829.

Imprimatur
C. H. P f a ff,
h. t. Dec. Fac. med.

Proœmium.

Morbosa haec affectio, cancer vocata, a primis jamjam temporibus satis cognita, magna fuit medicorum crux neque nostris temporibus cruciare desiit medicos. Quod aperte demonstrant diversissima medendi studia, eorumque eventus. Omnes paene, qui de cancro conscripserunt, aliam quoque medendi methodum proposuerunt, exemplisque comprobaverunt, quibus factum est, ut methodus ab altero comprobata ab altero rejecta sit. Quare Heister haud inepte hunc morbum dixit opprobrium medicinae. At hoc cognomine non abhorreamus necesse est, sed omnem potius navemus operam, ut veram hujus morbi indolem exquiramus, quo tandem fines huic malo horribili imponere et optimum curationis eventum rite polliceri possimus.

Uberrimam discrepandi occasionem tam quoad diagnosin, quam quoad therapiam, nobis offert cancer mammarum, de quo tantum in hac mea dissertatiuncula disseram. Neque miror tantas scriptorum exortas esse discrepationes, quum plurimi, qui cancrum mammae occultum sive reme-

diis pharmaceuticis, sive chirurgicis radicitus sanavisse contendunt, adhibitam medendi methodum, prosperumque ejus exitum palam faciunt, minime vero accuratiorem ejus diagnosin. Quare haud immerito de vera illius tumoris indole cancrosa maxime dubitamus et tumorem, saepius glandulam induratam fuisse, quam scirrhum verum, opinamur; praecipue si remedia resolventia scirrhum sanasse dicuntur. Qua de causa maxime est necesse, ut accuratissimam, quam fieri possit, nobis paremus hujus morbi cognitionem, neque solum quoad indolem, sed potius quoad diagnosin et therapiam. Quare ex magno rerum medicarum thesauro, hanc, ut conscribam, materiam elegi, quamvis rem sane arduam, viribusque meis longe superiorem suscepi. At colligendo, quae potero, et collecta accuratius perscrutando, spero fore, ut aliquam haec mea dissertatiuncula praebeat utilitalem.

Denominatio morbi.

Necesse mihi videtur, ut certo quodam totius morbi cognomine utamur, si de omni morbo disseramus neque, uti saepius factum sit, primum stadium denominemus *scirrhum* ceteraque stadia *cancrum*. Cancri vocabulum, teste Celso, Romani scriptores usurparunt, pro eo morbo, quem Graeci gangraenam sive sphacelum appellarunt; carcinoma vero ipsis dictum fuisse, quod nos vulgo cancrum appellamus. Quum vero non solum cancer ipse s. carcinoma, sed etiam ejus prodromi ad morbum pertineant, hac in dissertatiuncula mea cognomine cancri utar, si de omni morbo disseram.

Similitudinem cognominis morbi cum animali ejusdem nominis mente comprehendere nequeo, quum morbi phaenomena dissimilia magis, quam similia videntur, nisi forte Galeni et Aeginetae explicationes sequar. Galenus [1]) refert: uti animal utrimque pedes porrigit, sic et venae vicinae, atro sanguine turgentes undique ex carcinomate exeunt. Aegineta similitudinis deduxit rationem, quod carcinoma pertinacissime adhaereat partibus, quas occupat, uti cancer animal chelis suis prehensam praedam firmissime teneat. Nihil vero refert, utrum morbus similia aut dissimilia praebeat phaenomena, an non. Cognomen illud, quo utimur ad designandum hunc morbum, omnibus satis notum, et vetustate sanctiatum quasi est, ut vix ullius sit pretii, novum hujus morbi cognomen comminiscare. Neque mihi in mentem venit alia morbi denominatio, ab hoc vel illo, qui de cancro conscripsit, proposita.

Multo similior videtur hic morbus plantis parasitis aut pseudoproductionibus; cancer enim, loco cuidam insidens, radices in partes vicinas agit et illaesas partes vitiatis addendo magis magisque increscit et novis radicibus novum parat hujus mali focum. Quae satis apparent ex dissectionibus anatomicis mammarum, cancro affectarum.

1) Method. med. II. c. 12.

At satis est de denominatione totius morbi, quare ad unius cujusque stadii denominationem transeam, quorum tria probo. Primum cancri stadium scirrhus, secundum cancer occultus et tertium cancer apertus s. carcinoma vocatur.

Primi stadii cognomen — *scirrhus*, a vocabulo Graeco *σκἰῤῥος, α, ον* derivatur, quod idem est cum *σκιρὸς*, quo veteres utebantur pro *λατὺπη*, designante 1) argillam quandam albam, gypso similem, quae aëri exposita magis magisque indurescit 2) lapillos, qui in asciandis saxis abscindebantur. Plutarch *μαρμάρος* adaequat *λατύπη*. *Σκἰῤῥος* ergo designabat corpus quoddam, duritie lapidea praeditum. Antiquissimis temporibus hoc vocabulo usi sunt medici ad designandum viscerum indurationes e. g. hepatis, lienis, uteri etc. Hippocrates enim de mulierum morbis disserens Lib. II. c. 38, uterum scirrhescere monuit, ubi vocabulo *σκιῤῥωθήναι* usus est, et ibidem c. 41. cancrum ex scirrho uteri metuendum esse, scripsit. Aptissimum ergo hujus stadii cognomen: scirrhus videtur. Est enim praestantissimum stadii primi symptoma, peculiaris haec durities, quam P. Frank [1]) dicit lapideam, melius vero eburnea dici potest. Nam maxime est peculiaris, ut nemo unquam erraturus sit, cui semel tantum contrectandi occasio oblata fuit. Aretaeus [2]) primus fuisse videtur, qui scirrhi cognomen glandulis induratis tribuit. Boerhave [3]) et alii, eum secuti, scirrhum dicunt finem quartum abeuntis inflammationis. Quibus factum est, ut tot tantique de hoc morbo errores, neque nostris temporibus omnino exstincti, regnaverint.

Cognomina: scirrhoma, scirrhosis illis tantum tribuenda sunt tumoribus, similem ac scirrhus duritiem praebentibus, omni vero pronitate in carcinoma abeundi carentibus, quae v. Swieten vocari mavult tumores scirrhoides, accuratioris distinctionis causa.

Secundi stadii cognomen minime tam convenit symptomati praestantissimo. Cancri enim occulti symptoma est tumor celerius increscens, et sensilitas ejus rediens. Praeterea hoc cognomine inducimus ad opinionem,

---

1) Epit. de cur. hom. morb. VI. 3.
2) de morb. diuturn. Lit. I. c, 8 et 14.
3) v. Swieten Comm. in Boerhave Aphorism. I. §. 392.

ut abscessum contineat tumor; cui redarguunt dissectiones anatomicae probantes, ut tumoris cava, ichore impleta tunc demum reperiantur, si cancer occultus prope absit ab aperto cancro. Quare alii aliud proposuerunt hujus stadii cognomen e. g. Platner et Junker. Ille cancrum occultum dicit scirrhum malignum cfr. Instit. chirurg. §. 264. et hic scirrhum sanguineum cfr. Conspect. chirurg. pag. 137.

Tertio hujus morbi stadio optime convenit cognomen cancri aperti s. carcinomatis. Carcinoma enim apud Galenum, Calsum et alios designabat omne ulcus maxime malignum et atrocissimum. Cognomen vero ulceris carcinomatosi satis ineptum videtur. Omne ulcus inveteratum et neglectum deterrimam quidem praebet speciem et plura prae se fert carcinomatis symptomata; nunquam tamen carcinoma ipsum constituet. Cancer enim est malum specificum et symptomata praebet specifica, quibus ab aliis differt ulceribus.

Definitio et indoles cancri.

Accurata hujus morbi definitio summi recte est momenti, at etiam tot tantisque difficultatibus impedita, ut vix ulla proditura sit, quae erratorum coarguere non possit. Vera enim cancri indoles nobis maxime est incognita et in posterum incognita permanebit, nisi in eo conveniamus, ut certo quodam totius morbi cognomine utamur, neque scirrhi et cancri vocabulo promiscue insignemus morbum, si de morbo generatim loquamur. Alii enim vocabulo scirrhi primum et secundum hujus morbi stadium significant; alii scirrhum dicunt cancrum occultum; alii cancrum dicunt secundum et tertium stadium et scirrhum designant tumorem durum indolentem, saepius in cancrum degenerantem. Quamdiu de variis uniusejusdemque morbi stadiis, tanquam de variis loquimur morbis, tamdiu vera morbi indoles minus erit perspicua et ejus medela incerta permanebit. Negari quidem non potest, ut unius alteriusve stadii symptomata magnam praebeant diversitatem; parum vero refert, si morbus quidam in variis suis stadiis tam varia habeat phaenomena, quae omnia inter se conveniunt, ut ad eundem pertineant morbum. Scirrhus, primum hujus morbi initium, alia prae se fert symptomata, quae cancer occultus, qui morbi provectioris

significat stadium; et cancer occultus alia, quae cancer apertus, illud designans morbi stadium, inde a primo ulceris initio usque ad summum ejus fastigium.

Omnium de cancro scriptorum definitiones pervolventes, saepius invenimus uniuscujusque stadii delineationem, quam totius morbi definitionem, nisi huc referre velimus sententiam: cancri indolem in humorum stagnatione positam esse. Quam prae ceteris explicare studuit Dupré de Lisle[1]), succum lymphaticum accusans causae morbi; dicens: L'humeur cancereuse port une acrimonie, qui la fait différer de toutes les autres humeurs: elle n'a pour cause, que la seule depravation des sucs lymphatiques, qui, netant plus pressés, ni sollicités par l'action des vaisseaux, s'arrêtent et obstruent les glandes, et forment des tumeurs squirreuses, qu'on peut regarder avec quelque fondement comme le germe du Vice cancereux. Si cancri ingenium in humorum stagnatione consistat, non intelligimus, cur non in omnibus vitae periodis depravatio cancri observatur, sed illa tantum periodo, ubi totius organismi decrebilitas exoriatur; porro, quibus de causis exoriatur haec stagnatio perniciosa in glandulis tantum conglomeratis, quum in aliis corporis partibus multo minora inveniantur vasa; praeterea cur nulla dissectio anatomica ullum praebuerit stagnationis fastigium, sed tantum totius glandulae in deterius commutationem, quum quaeque humorum circulatio impedita post mortem pateat. E. g. si in arteriis sit impedita circulatio, alia finguntur vasa sanguifera solis naturae conaminibus, v. g. in aneurismate popliteae. In venis exoriuntur varices et in vasis lymphaticis tumores lymphatici. Sin vero humorum stagnatio adsit, omni vasorum commutatione mechanica carens, necesse videtur, ut etiam in vasa majora propagetur. Quae omnia in cancris dissectis frustra indagantur.

Alii morbi ingenium consistere putant in humorum, in cancro stagnantium, putrefactione [2]).

Melius Peter Frank. Epit. VI, p. 182, de obstructionibus agens, refert: scirrhum esse, partis vivae et mollis, ut plurimum glandulosae, mortifica-

---

1) Traité sur le vice cancereux I. cap. IV. Art. 1.

2) Peyrilhe diss. de cancro pag. 14 et seq.

tionem, ex induratione natam, cum pronitate in inflammationem, sub qua sensilitas redit, malignam, exulceratione cnm fluxu saniei acerrimae corrodentis terminandam. Frank vero errorem commisit, quum scirrhum dicat: partis vivae et mollis, *ut plurimum* glandulosae mortificatio; semper enim cancer glandulam, atque quidem conglomeratam occupat.

Melior illorum videtur sententia, qui cancrum exoriri dicunt ex acrimonia insuperabilis et deleteriae indolis, quae nonnisi ex effectu in glandula conglomerata manifesto demum agnoscitur [1]. Qui effectus non inepte in inflammatione specifica glandulae parenchymatis consistit, cujus exitus non suppuratio, sed cancer apertus est, et hujus mali symptomata leviora non reddit, sicut mos est inflammationis acutae, sed potius ad summum tollit fastigium et, vim suam in organismum exserens, mortem provocat. Haec inflammatio, decursu lentissimo chronico, ex organismi dispositione specifica procreato, excellens, peculiarem prae se fert decursum et symptomata specifica, quae minime negari possunt, etsi a pluribus repudiata sunt. Cui inflammationi respondere videntur plura phaenomena e. g. dolores in cancro occulto comparentes, quibuscum sensibilitas tumoris redit et ejus exitus in suppurationem. Quamdiu sine ulla partium vicinarum functione laesa tumor increscit, tamdiu nulla excitatur partium reactio; sin vero tumor ob molem molestus evadat et illarum functionem laedat, accedit illarum partium inflammatio, transitum in carcinoma accelerans. Illa glandulae conglomeratae affectio specifica, inflammationi asthenicae simillima, decursu lentissimo chronico insignis, cum damno totius organismi sustentatur et usque ad suppurationis exitum, glandulam magis magisque exaggerat, aut, quod rarius evenit, imminuit. Quae exaggeratio, lapidea vel potius eburnea duritie, omni digiti pressioni resistente, excellens, in vera aggregatione texturae solidae hujus ipsius partis consitit.. In mamma vere cancancrosa primum cancri exordium nucleus quasi est, qui vegetationem, contra normam excitatam, irritat, quibus fiunt exaggretationes, quarum quaevis novus nucleus est, tumoris increscentiam accelerans, Cui respondent sectiones anatomicae, e quibus apperet, ut nunquam in sacco contineatur tumor, sed plantarum parasitarum

---

1) Callisen Syst. Chirurg. hod.

in modum radices in partes vicinas agat [1]) alimentumque sibi ex illis capiens, ad certam quandam increscat magnitudinem, pro quoquo individuo variabilem, et sua sponte in ulcus transeat perniciosissimum, sin etiam omnes causae occasionales cautissime prohibeantur. Hocce malum causis externis, quoad decursum acceleratur quidem, minime vero ex iis exoritur sed originem ducit ex certa quadam corporis dispositione, ut plurimum haereditaria, a Peyrilhe, diss. de cancro pag. 29. vero refutata. Cujus vero sit ingenii affectio illa peculiaris dijudicare nequimus, optime congrua mihi videtur peculiaris nervorum affectio morbosa, omnia illa adducens phaenomena, quibus maxime vexantur aegrotae. Quare ulcera, nullam carcinomatis indolem prae se ferentia, prope ad cancrum occultum et etiam ad carcinoma exoriri et sanari possunt. Quae fieri non posset, si in humorum acrimonia consistat morbi ingenium e. g. rheumatica, venerea, arthritica, scrophulosa, atrabilari.

De vera cancri sede plures inter se dissentiunt scriptores. Walther [2]) enim dicit, cancrum verum etiam in glandula lymphatica primitive apparere. L. M. Velpeau [3]) cancri sedem in tela illa fibroso-cellulosa, singulos lobulos, mammam constituentes, sejungente, consistere putat. Benj. Bell [4]) hisce utitur verbis: Der gewöhnliche Sitz der Krebsübel ist die Drüse, welche nie einen guten Eiter geben, auch bei einfachen Krankheiten nicht, daher es nicht unwahrscheinlich ist, dass durch einen gewissen besondern Reiz eine solche Disposition hervorgebracht wird, vermöge der die krebsartige Materie sich darin erzeugt. Cancer glandulam semper conglomeratam occupat, quae v. Swieten jamjam monuit, in qua vero glandulae parte primam habeat originem non satis constat. Construitur enim glandula conglomerata ex arteriis, venis, vasis lymphaticis et nervis, quae accuratissime inter se obliquata et conjuncta sunt. Nervi, omnium partium functiones determinantes, veresimillime hoc malo occupantur [5]). Quae probari videntur menstruorum fluxu irregulari foeminarum cancro mammarum laborantium.

1) Gendron Recherches sur le cancer. — Hildanus observat. 84. cent. III.
2) Journal der Chirurgie und Augenheilkunde Bd. V. S. 202.
3) Abhandl. der chirurg. Anatomie aus dem Franz. übersetzt, Lieferung III. S. 513.
4) Lehrbegriff der Wundarzeneikunde aus dem Engl. übersetzt, Theil V. Abschnit 8.
5) Sammlung auserles. Abhandl. für pract. Aerzte, Bd XVIII. S. 170. — Bd. X. S. 167.

Quae quidem phaenomena ex consensu mammarum cum utero explicari possunt, at causa hujus consensus in nervis ipsis tantum consistere potest. Illam sententiam quoque illustrant observationes multifariae, quibus apparet, ut melancholicae temperiei homines frequenter et maxime pertinaciter hoc malo laborent. Quaeritur vero, utrum melancholia et hysteria sint fautores, an potius ex hoc universa nervorum affectione peculiari sint procreatae.

Qua ratione vero cancri et fungi medullaris ingenium differt, dijudicare non audeo, quum amborum ingenium in certa quadam nervorum conditione consistit. Fungus medullaris aperte nervos occupat et nervorum affectionem indicat, ex illis enim prodit et increscit; cancer affectionem indicare videtur totius nervorum systematis, vim suam praecipue in hac vel illa glandula conglomerata manifestantem.

Morbo praegresso prius tardiusve haec ad cancrum dispositio apertius patet et in veram dyscrasiam transit. Quae satis agnoscitur ex totius corporis macie, quae eo magis adspicitur, quo citius increverit cancer occultus; et ex faciei colore helvolo (ex flavo rubescente). Aegrotae valde sensibiles et irritabiles, moerori tristitiaeque addictae, aetate magis provectiores, senes quasi adspiciuntur. Summa debilitas, pessima nutritio se manifestant, organismus exsiccatus oculis nostris subjicitur. Uno verbo vitae miserrimae simulacrum praebent hoc malo laborantes. Cfr. Morgagnius de sede morb.

Praeterea plures adfuerunt, qui ex ichoris secreti analysi chemica morbi ingenium pervestigare studuerunt [1]). Experimentorum vero finis tantam praebuit diversitatem, ut ne minimam quidem ingenii cognitionem per illa acquiramus. Neque miror; ichoris enim indoles mutabilis est, variisque ludit formis, prout diversa sunt, corporis vitaeque conditio, morbi decursus celerior vel lentior atque longa morborum chronicorum series, quae, pro diversa partium affectarum ipsiusque laesionis habitu, variam inducunt ichoris indolem. Ex analysi chemica modo apparet acidam [2]) modo alkalinam [3])

1) Journal de Physique, Bd. XXXII. April 1788. S. 311.

2) Guy, an Essay on the scirrhous tumours. — Whisling ältere und neuere Curmethoden des offenen Krebses, S. 27.

3) Gaubii institut. pathologiae Sect. 310. — Samml. von Abhandl. für pr. Aerzte Bd. XV. S. 344.

ichoris naturam. Le Febure [1]) observavit, ut ichor cancri aperti syrupo violaceo colorem rubrum intulisset et cum acido commixtus efferbuisset. Crawford dixit, ichorem ex carcinomate secretum continere gas hepaticum, quod etiam observavit in materiis putrescentibus [2]). J. A. Weber [3]) ichoris foetorem comparat cum foetore carnis in muria salina vel aceto computrescentis. Ichor ex carcinomate secretus, conditione acerrima, omnes partes vicinas terribilem in modum arrodit et destruit, neque ossibus neque tendinibus, neque vasis sanguiferis parcit. Et non solum in aliam ejusdem hominis partem sranslatus similes efficit exulcerationes, sed etiam in aliud individuum ceteroquin sanum easdem procreat [4]). Haec vero contagiosa indoles non in omni carcinomatis destructi gradu animadvertitur, sed stabiliri potest: quo acrior lividior ichor secretus, eo contagiosior est; quo major et quo glandulosior pars affecta, quo pejor corporis conditio, eo celerius et certius summam attingit contagii indolem [5]). Hae vero ab aliis omnino reprobantur, circinoma uteri exempli instar afferentibus, ubi, sin etiam ichor copiosissime secernatur, nunquam contagiosa ejus conditio observata sit; foeminae enim, hoc malo laborantes, frequentius cum marito coëunt, quum majore urgeantur coïtus cupiditate [6]).

Aetiologia.

A primis inde temporibus observatus est cancer, neque solum in populis eruditioribus, sed etiam in omnibus totius orbis terrarum populis et ubique easdem prabuit sanandi difficultates. Quod satis indicant scripta Graecorum, Arabum, Aegyptiacorum, Romanorum et recentioris aetatis medicorum. Saepius tamen observatur in populis eruditioribus, sub Zonis frigidis et temperatis habitantibus, rarius in populis feris sub Zonis calidis. Quibus vero

1) Bewährtes Mittel, den offenen und verborg Krebs zu heilen, übersetzt von Junker. S. 7.
2) Philosophical Transactions Bd LXXX. 1790. Theil 2. Abhandl. 22.
3) de causis et signis morborum II. pag. 76.
4) Hildanus Cent. II. obs. 78. — Tulpius Lib. IV. obs. 8. — N. Rust Helkolog. I §. 28. — Rowley's Abhandlung über die gefährl. Zufälle der Brüste bei Kindbetterinnen S. 65. — Harris Diss. med. chir. pag. 168. — Peyrilhe Diss de cancro pag. 30.
5) Salzburger medicinische Zeitung 1809. Bd I. S. 109.
6) Journal der Geburtshülfe etc. von Elias v. Siebold, Bd III. St. I. S. 57.

eveniat hocce discrimen, minime patet. Schouten [1]) hujus discriminis causam in liberiore coïtus exercitatione positam esse putat et argumenti instar memorat, ut animalia nunquam hoc malo vexentur.

Causa morbi praedisponens in certa quadam corporis conditione consistit, quare cancer est affectio sui generis, quae varia obtinet cognomina, prout diversae sunt partes affectae, in quas vim suam praecipue collocavit dispositio haec. E.g. cancer mammae, uteri etc. Si morbus summum attingat fastigium, totius organismi dyscrasia cancrosa ex ichore resorpto efficitur.

Dispositione ad cancrum praesente, acceleratur et valde depravatur morbi decursus prava corporis diaeta, e. g. commoratione multorum hohinum in unoeodemque domicilio, ubi aër circumdans humidus et exitiabilis est ex neglecta aëris admissione; corporis agitationis penuria; pravorum alimentorum minus nutrientium largo usu; ex jejuniis solemnibus atqua vita coelibi. Scriptorum sententia, ut hisce causis obnoxiis procreari possint cancri, quum in coenubiis saepissime observentur, falsa videtur. Nunquam enim dispositionem ad cancrum procreant, sed excolunt tantum, et optime assumere possumus, ut plures hic conveniant foeminae, dispositione illa implicatae. Causas occasionales autores diviserunt in externas et internas, atque quidem sequenti ratione. Causae occasionales externae sunt omnes injuriae allatae externae, quibus referuntur ictus, pressiones lentae diurnae, percussiones, contusiones, remediorum resolventium et emollientium continuata applicatio et aliae. Praeterea tumor ipse proxima est causa cancri increscentis; ad certam enim incretus magnitudinem, mole et magnitudine sua partes vicinas irritat ita, ut earum inflammatio accedat et magna exoriatur cancri depravatio. Ad causas occasionales internas referri possunt: moeror, tristitia, aliaque pathemata deprimentia, metastases variae, quibus adnumerantur retentes et suppressae excretiones, ad normam quasi pertinentes v. g. mensium et haemorrhoidum fluxus etc.

Sola vero causa occasionalis in decrebilitatis vitae periodo consistit. Anni enim hominis climacterici, magni sane et maxime sunt momenti in morborum proprietatibus et depravationibus. Saepissime inter nonum et

1) Verhaal over de tegennaturlyke Gezwellem II. pag. 639.

undecimum lustrum, maximam inducens totius organismi commutationem, hujus mali depravationes observantur. Quibus apparet, ut causae illae occasionales, quas supra commemoravi, in prioribus vitae annis mammam quoque infestantes, tantam non habeant vim, ut morbum deteriorent, nisi in hac vitae periodo partem cancro affectam affligant. Quare haud inepte videtur, hanc vitae periodum ad causas occasionales referre et morbum dicere hujus aetatis proprium. Et Hippocrates jamjam observavit, ut magnam exoriatur cancri depravationem ad quinquagesimum circiter aetatis annum. Qua vero ratione haec vitae periodus tantam exerceat in cancrum vim minime patet. Sunt, qui hujus phaenomeni causam in sanguinis ad partem affectam congestionem, ex suppressione menstruorum procreatam, ponant, et argumenti instar memorent, ut hujus excretionis suppressionem antecedat aucta sanguinis densitas, quae testatur crusta inflammatoria, quam sanguis e talibus aegrotis venaesectione extractus oculis digitisque subdit. Quare hujus sententiae medici hirudinum applicationes et frequentiorem venaesectionem suadent. Illi vero theoriae non solum refutant curationis eventus, sed etiam observationes illae, de cancris, virorum mammas occupantibus, factae. In viris menstruorum fluxus omnino abest et haemorrhoides minime suppressae saepius observatae sunt, et tamen plura monstrarunt exempla magnum cancri incrementum in hac vitae aetate [1]). Quare melior videtur illorum sententia, qui ex totius organismi commutatione, huic vitae periodo propria, hae phaenomena exoriri et morbi depravatinonem in hac ipsa aetatis proprietate consistere putant [2]).

Dissectio anatomica.

Ex delineationibus quibusdem de magnitudine et mole mammarum cancro affectarum satis apparet, ut saepe saepius alia morbosa mammae affectio cancer vocata est [3]). Cancer magnam quidem adipiscitur magnitudinem

1) Le Dran; Mémoires de l'Academie roy. de Chirurg. T. III. p. 19. — Pet. Frank Epit. VI. pag. 193. — Peyrilhe Diss. de cancro. — Heisteri Chirurg.

2) Sammlung von Abhandlungen für pract. Aerzte Bd. XI. S. 513.

3) Voigtels Handbuch der pathologischen Anatomie Bd I. S. 572.

et molem, nunquam vero tantam ac Fungus medullaris, cujus cum cancro commutatio, pessima sane erit aegrotantibus salus, quum contrariam poscant medelam. Magnitudinis eximiae exemplum Bierchen[1]) enumeravit, illi a Sandifort[2]) delineato simillime. Hic mammam conscripsit cancrosam, omnem ventrem pulvini instar contegentem; ex symptomatum vero descriptione atque decursu apparet fnngosa hujus mali indoles, quae cancrosa minime vocari potest.

Reil plures accuratissime descripsit dissectiones anatomicas mammarum cancro laborantium, quae omnes, sicut ceterae ab aliis institutae dissectiones diversissimas ostenderunt formationes, inter se convenientes, ut cultro anatomico praeberent glandulam omnino implicatam et infarctam et tumorem compactum durum, plusminus cartilaginum duritie praeditum, omni compressioni resistentem, massaeque homogenae adaequantem [3]). Peyrilhe his utitur verbis [4]): Solidae cancrorum moles hic secanti scalpello velut semicoctum cerebrum cesserunt, ibi cartilagineam duritiem opposuerunt. Color substantiarum, tumorem constituentium, non unus erat; albus, cineritius, citrinus, violaceus, ater etc. hinc inde visus est. Oculis perlustratae hae moles, si quasdam vasorum lascinias exceperis, vix organicae visae sunt. Illarum fragmenta, paucis exceptis, odorem hepatis sulphuris emiserunt intra aquam bullientem immersa, quamvis id citius, illud tardius.

Memoratu digna videntur, quae Schaw [5]) memoravit. Observavit enim, ut magna mamma, ceteroquin sana dissecta et in spiritus vini per aliquod tempus conservata, similem praebeat speciem, ac mamma vere scirrhosa. In mammis cancro destructis et commutatis nulla paene invenitur prioris structurae forma. Substantia cancrosa, in tenues tabulas dissecta semipellucida adspicitur et ex duabus partibus constructa videtur, quarum altera dura fibrosaque, altera mollior est.

---

1) vom Krebse etc. S. 25.
2) Mus. anatom. Vol. I. Sect. V. pag. 232.
3) Pet. Camper, demonstrat. anatomico pathologicae Lib. I. §. 12. — Stoll rat. med. Lib. II. part. II. p. 218. — Mohrenheim, Wiener Beiträge Bd I. S. 312.
4) Diss. de cancro p. 24.
5) Anleitung zur Anatomie. S. 290.

Tela enim illa fibroso-cellulosa, singulos mammae lobulos sejungens in cancro indurescit, cartilagineam, osseamque occupat duritiem, cuti caeterisque partibus vicinis inhaerescit et cancri aemulatur radices, quibus cancer provectior immobilis evadit. Pars haec durior, colore ex fusco candicante, albumini indurato haud dissimilis, striatim omnem penetrat massam et irregulariter in latera divergit, quibus construuntur cava, partem alteram molliorem continentia. Haec mollior tumoris pars, variis ludit coloribus, modo ex fusco candicat, modo livida, modo viridis, rubella et cinerea est. Saepius haec massa mollior, saepius illa compactior praevalet; maxime compacta et dura observatur in medio tumore, tanquam nucleus ei insidens, ex quo striae illae fibrosae divergunt. Hic nucleus prima esse videtur cancri origo: cui vero insideat glandulae parti ex mamma omnino destructa minime agnosci potest, et ejus incrementum ex commutatione partis affectae et partium vicinarum exoritur, quare minime stabiliri possunt partium integrarum et morbose affectarum fines. Praeterea quoque hydatydes, tumores cystici in cancrorum tumoribus ipsis et in partibus vicinis reperiuntur, cfr. v. Froriep's chirurgische Kupfertafeln. In cancri occulti stadio provectiore saepius circa tumoris centrum cava, foetido pure atque acerrimo ichore impleta, reperiri notaverunt Deidier, de Tumeurs pag. 103. — Harris diss. X. pag. 168. — Sammlung auserlesener Abhandlungen für practische Aetzte Bd XI. S. 513. — Ex hac dissectionum summa satis apparet, ut nunquam in sacco contineatur cancer, sed in modum pseudoproductionum increscat.

Sectiones cadaverum foeminarum, cancro mammarum exstinctarum, demonstrarunt omnes glandulas lymphaticas tumidas et praecipue illas, arteriae mammariae proximas, quas Peter Camper [1]) observavit ipsi magnitudini ovi columbini adaequantes.

Divisio cancri.

Alibert (Nosologie naturelle) sex cancri species enumerat 1) Cancrum fungoidem, qui vulgo dicitur cancer; 2) Cancrum terebrantem, vulgo cancer cutaneus; 3) Cancrum eburneum; 4) C. globulosum, tumores plus minus

1) Sammlung für pr. Aerzte XI. 327.

rotundos, glabros, colore atro et violaceo; 5) Cancrum anthracinum, cujus prima origo ex macula nigra ducitur, ex qua morbo praegresso proveniunt excrescentiae, mororum formae aemulantes; 6) Cancrum malaeneum, originem ex variae magnitudinis tuberibus ducentem. Bierchen l. c. tres statuit cancri species 1) cancrum genuinum, qui cancer rite vocatur et omnia prae se fert cancri symptomata. Tumor hic ex glandulae augmento exsurgit, quibus differt a cancro scrophuloso, e glandulis pluribus adunatis conflato, 2) cancrum fungosum, qui mammas pingues, laxas occupare solet, exordium simile ac cancer sumit, longe vero citius increscit et cute rupta magnam fundit aquam saniosam, copia longe majorom, quam in genuino; 3) cancrum scrophulosum, qui affinitatem cum cancro venereo habere videtur.

Quoad proguosin duae pruecipue distinguuntur cancri species. Prima, ubi tumor magis magisque increscit; secunda, ubi imminuitur tumor morbo ingrediente. Quorum haec pejorem et illa meliorem sinit prognosin. Praeterea dividitur quisque cancer in cancrum cutaneum, qui cuti proximus est et cujus ulcus magis in latitudinem, quam altitudinem serpit; et in cancrum profundiorem, qui glandulas mammae conglomeratas profundiores magis affectat. Porro distingiuntur cancer primitivus seu genuinus et cancer secundarius s. symptomaticus. In hoc tumores cancrosi jam antea adfuerunt aut adhuc adsunt, in illo nulla prius observata est corporis affectio cancrosa.

Antiquioris aetatis medici cancrum diviserunt in cancrum occultum et apertum et scirrhum; illam vocarunt mobosam glandulae affectionem, ex qua cancer exoriri posset, quare scirrhum, tanquam morbum sui generis tractarunt. Callisen [1]) cancrum dividit in duo stadia, in scirrhum et in carcinoma. Scirrhum distinxit in idiopathicum, a causa interna plusminus abscondita exortum, et in symptomaticum, injuriae cujusdam externae vel morbi praegressi sequelam. Et carcinoma ab eo distinguitur [2]) in occultum, quod cute integra suis continetur involucris, et in apertum s. ulcerosum, deteriore tantum modificatione ab altero diversum. Peyrilhe [3]) cancrum divisit in quatuor stadia: Primum stadium dicit scirrhum non exquisitum, ubi tumor cuti con-

1) System. chirurg. hodiern. Bd II. §. 193.
2) ibid. §. 202.
3) Diss. de cancro p. 6.

color, durus, renitens, magno exiguo aut nullo dolore stipatus, prima exhibet cancri rudimenta; 2) scirrhum exquisitum. Vel crescit, vel in eodem statu quiescit hic morbus; si augescat primum adhuc percurrit stadium, si sensu amisso doloreque fugato placide lateat, secundum intrat stadium; 3) scirrhum malignum, qui ab aliis cancer occultus dicitur; 4) cancrum apertum.

Aptissima et maxime conveniens videtur in tria stadia divisio, quae cancri diagnosin non solum reddit faciliorem, sed etiam multo accuratius eam firmat; tunc etiam cancri medelam reddit simpliciorem et remedia unicuique stadio accommodata legitime adhibendi nobis praebet facultatem. Praeterea commoda videtur cancri divisio in cancrum occultum et apertum; scirrhus enim haud immerito dicitur cancer occultus, qui scirrhi provectioris symptomata tantum praebet. Sunt enim scirrhus et cancer ingenio haud differentes, sed indicunt tantum varios morbi praegressi gradus. Cancrum ergo in tria stadia dividimus, in scirrhum; in cancrum occultum et in cancrum apertum s. carcinoma.

Cancri decursus.

Cancri cutanei decursus fere hic est. Tumores duri, rotundi, oblongi, complanati; saepius quoque cutis maculae majores vel minores, colore livido, atro, violaceo, adveniente pruritus lancinationis sensu in ulcus transeunt, magis latitudinem quam altitudinem spectans. Praeterea ex verrucis et aliis exoritur cutis excrescentiis et modo celerius, modo tardius in carcinoma abit. Cancri, magis profundiores mammae glandulas conglomeratas affectantis, decursus multo lentius observatur at etiam eo certius et pertinacius summum attingit perniciei fastigium. Hujus cancri symptomata, in triis stadiis delineare studebo.

Stadium cancri primum. Scirrhus.

Hujus stadii symptomata difficillime tantum delineanda sunt; nam neque de prima origine, neque de termino ad cancrum occultum certos stibilire possumus fines. Quisque tumor vere scirrhosus doloribus et sensibilitate carens pedentemtim increscit et hac de causa haud prius observatur, quam si injuria aliqua externa partem, scirrho affectam, infestet, aut si dolores prurientes

lancinantes in mamma affecta sentiantur. Et nunc quidem aegrotae ex prima observatione primam ducunt originem. Quod satis falsum apparet; nam sin quoque tumor durus in mamma haud prius observatus sit, tamen antea adfuisse, minime vero subito exortus esse potest. Quare scirrhi prima origo semper intricata permanebit, praecipue quum perpaucae foeminae tantam sibi intendant attentionem, ut minimam quamque mammae mutationem animadvertant et observent.

Symptomata fere hae sunt: Tumor lentissimus chronicus, cui nulla antecessit glandulae inflammatio, nunquam ad magnam increscens molem, solitarius, circumscriptus, mobilis neque caeteris partibus adhaerescens, quae patent, si reductis aegrotae acromiis hinc illinc facillime moveri possit. Praeterea cuti concolor adspicitur, omnibus a primo inde initio doloribus caret; tangendo insensibilis est et duritie peculiari, digitorum pressioni omnino resistente, praeditus. Mammae papillam retractam, et cutem, scirrhum contegentem, plus minus rugosam adspicimus. Nunquam aetatem puerilem, rarius juvenilem, saepissime aetatem decrebilitatis occupat, et cessantibus menstruis in cancrum transit occultum. Praestantissimum scirrhi symptoma est illa durities, quam Pet. Frank dicit lapideam, melius vero eburneam dicimus, ob similiorem eburnei duritiem. Quare nemo unquam in dignoscendo errabit, cui semel tantum contrectandi occasio oblata fuit. Praeterea quoque necesse est, ut nulla solertissimo examine indagari possit causa occasionalis, ut tumor omni sensu careat in tangendo.

Hocce stadium saepissimam praebet errandi occasionem; facillime enim glandulam induratam pro scirrho et vice versa habemus. Quibus consistit longa erratorum series de symptomatibus et de remediis applicandis, eorumque usu salubri vel nocivo. Scirrhus vero et glandula indurata optime inter se differunt morbi decursu. Omnis enim induratio est prioris inflammationis residuum; quod nunquam in scirrho, qui optime differt tumore illo lentissimo chronico, omnibus a primo inde initio doloribus carente.

Stadium cancri secundum. Cancer occultus.

Scirrhi cognomen apud autores aliquando retinetur, licet lancinantes adsint tumoris dolores, quod falsum sane apparet et a v. Swieten verbis castigatum est [1]).

Symptomata hujus stadii praestantissima, quae, quo magis increscat tumor, eo evidentiora apparent, sunt. Tumor altius sub cute latenti obhaeret, celerius increscit, formam induit irregularem, minime circumscriptam, duritiem occupat majorem et partibus vicinis inhaerescit. Mammae papilla retracta et cutis rugosa adspicitur. Si cum cute tantum coalescat tumor, simul cum illa moveri potest, sin vero reductis acromiis immobilis evadat et pronis acromiis moveri possit, metum habe cum musculo pectorali cohaesionis; sin neque in hac, neque in illa corporis situatione moveri possit tumor, non solum musculo pectorali, sed etiam musculis intercostalibus et costis adhaeret. Tumoris formam sentimus granosam, angulosam, verrucosam, tuberosam, cum fibrillis albicantibus hinc illinc sese expandentibus, et quod summi est momenti, tumoris sensilitas adest. Tumor non solum magnitudine et mole molestus evadit sed pruritus et lancinationis fugacis sensu, qui non uno urget tenore, sed statutis quasi intervallis, potissimum sub vespera recrudescit; in initio hujus stadii saepius, postea rarius et in finem nunquam deserit aegrotam et in ferri candefacti s. prunae ibi versantis sensum transit. Qui, quo saevior et continuus adest, eo pejorem inducit nativi tegumentorum coloris degenerationem successivam, in colorem rubellum, rubrum, caeruleum lividum et atrum; venae vicinae exspansae et varicosae adspiciuntur. Tumor cum partibus vicinis ita coalescit, ut nulli stabiliri possunt cancri fines et mammae volumen imminuatur, quo magis tumor increscat. Nunquam a notabili febre comitatur hic morbus, licet symptomata atrocissima et maxime horribilia adsint. Nulla tumoris fluctuatio sentitur, quamvis in finem hujus stadii plura construantur tumoris cava, ichore, qualitate magis, quam quantitate insigni, impleta. A pluribus auctoribus memorata est haec fluctuatio, tamquam

---

1) Comm. in Boerhave Abh. I. §. 492.

symptoma; nusquam vero in cancro occulto invenitur, quum mammae massa sit dura atque compacta; quum cava parva tantum adsint neque tumoris occupent superficiem.

Qui fluctuationem tumoris contendunt certe fungum haematodem pro cencro occulto habuerunt, praecipue quum, ut ipsi referunt, magna semper, cute rupta, effluxerit ichoris copia et excrescentiae fungosae celerius increscentes proruperint.

Quod attinet ad dolorum lancinatium sedem, plures inter se discrepant scriptores. Morgagnius, de sede morborum disserens, putat: dolores in cancro comparentes non in ipso tumore, sed in partibus vicinis sedem habere. Pet. Frank in media mamma observavit dolores. Pet. Camper putat praecipuam dolorum sedem in istis glandulis lymphaticis, arteriae mammariae proximis. Hae glandulae, ex ejus sententia, prius morbose afficiuntur, quam glandulae axillares, quum illae ipsius glandulae mammalis accipiant vasa lymphatica, hae vero vasa partium mammae superficialium lymphatica [1]). Notatu tamen dignum videtur, ut non omnis dolor pungens in mamma tumore occupata comparens, indicet primum cancri occulti exordium. Saepius enim in cordis morbis sentiuntur dolores pungentes in regione arteriae mammariae, intus prodeuntis, qui vero nullam indicant tnmoris depravationem cancrosam.

Stadium cancri tertium. Cancer apertus s. Carcinoma.

In carcinomate omnia paene reperiuntur uniuscujusvis ulceris signa pathologica, quare multi negarunt signa carcinomatis specifica. Quod in eo consistit, ut omne carcinoma variet pro diversitate corporis vitaeque conditionis, morbi decursus celerioris vel lentioris, et longae morborum chronicorum seriei; praeterea in hoc carcinomate saepius symptomata oculis nostris subducuntur, quae in illo minime reperiuntur. Qui illi assentiunt sententiae carcinoma definiunt: ulcus ex glandula indurata exor-

1) Sammlung auserlesener Abhandlungen für pr. Aerzte XI. S. 527.

tum, cujus margines durae, inaequales, modo inversae modo reversae, summos inducunt dolores; cujus superficies inaequalis eximias praebet protuberantias et similes sinus; ichor secretus tenuis est, nigricolor, foetidissimum spargit foetorem, partes vicinas sauciat et corrodit; ulcus saepius copiosum fundit sanguinem et summos efficit dolores ardentes, molestissima totius morbi symptomata. Si omnia illa symptomata aut singula observantur, necesse est, ut diagnosin occuratiorem stabiliamus ex sede atque historia morbi. Quod vero attinet ad hanc sententiam, negari quidem non potest, ne in aliis ulceribus nonnulla carcinomatis symptomata reperiantur; at immerito certe omnino repudiantur carcinomatis signa sp ecifica.Cancer enim est morbus sui generis, quare quoque symptomata specifica prae se ferat, necesse videtur. Reprobat quidem Richter[1]) cancrum morbum esse sui generis et carcinoma illud dicit ulcus, quod atrocitatis gradu caeteris praecellit. Cui vero refutant et indolem specificam satis demonstrant sequentia: 1) cancer est morbus haereditarius; 2) cancer redit, sin etiam optime et tempestive exstirpatus fuerit; 3) nulla remediorum applicatio interna salubris; 4) ichor secretus in alias partes translatus ubique carcinomata procreat.

Prae ceteris symptomatibus praevalet prima morbi origo et ejus decursus, reliqua enim symptomata plus minus variant pro diversitate morbi provectioris, individui affecti et complicationum. Symptomata constantissima fere hae sunt. Si cancer occultus transit in apertum, omnia illius symptomata atrociora evadunt. Dolores lancinantes, qui prius atmosphereae mutationi obsequebantur, continui sentiuntur et praecipue illo loco, ubi arteria mammaria musculos intercostales permeat. Effluxus saniosus sanguinolentus e papilla saepe observatur. Cutis livida, atra singulis locis, ubi tumoris cava, ichore impleta proximiora sunt, desquamatur et sanies ichorosa, foetidissimum spargens foetorem, transsudat, partes vicinas humectans, corrodens et omnia symptomata atrociora reddens. Quibus brevi tempore magnum inducitur ulcus, deterrimam, sibi soli similem, speciem et horrendam symptomatum syndromem praebens. Nun-

1) Anfangsgründe der Wundarzneikunst I. §. 460.

quam a notabili febre comitatur haec eruptio, dum e contrario alia ulcera dolentia in universum febrem consensualem inducant. Ulceris provectioris labia, modo fungosa, modo durissima, maxime dolorosa, colore ex cinereo in viridem et atrum variantia, inaequalia, jugo montium haud dissimilia, subfossa, inversa, eversa atque reversa adspiciuntur. Fundus ejus inaequalis est et variis excrescentiis vestitus, quae, in tangendo minus sensiles, quam labia, facillime et etiam sua sponte copiosam efficiunt haemorrhagiam, difficillime statu et aegrotum relinquentem multo debiliorem. Excrescentiae brevi increscunt, nunc molles spongiosae sunt, nunc cartialginum duritiem et formam uvis et brassicae floribus similem aemulantur. His conjuncti sunt dolores lancinantes prurientes, summo urentes, vix tolerabiles, ulceris fundum praecipue occupantes, qui omnem somnum auferunt, digestionem maxime turbant et vim vitalem consumunt. Ulceris ambitus scirrhosus, ruber, caeruleus, lividus, nigricans et ater, oedematosus atque emphysematosus est. Venae vicinae varicosae et atrae sunt, neque solum magnitudine, sed etiam multitudine praecellunt. Inde a primo ulceris initio exit sanies pestilentissima, copia et odore abominabilis, quae tenuis, nigricans, fulva, viridis, livida et atra, partes vicinas in altitudinem et latitudinem atrocissime arrodit, neque ossibus, neque tendinibus, neque vasis sanguiferis parcit et linteam vi indelibili tingit. Ichor foetorem cadaverosum specificum, carnis in muria salina vel aceto computrescentis aemulum, spargit; insignior foetor cadaversus, ulceris putrefactionem, sin minor adsit, acrem corrosivitatem indicat, quae cuncta saeviora reddit et putrefactione remediis externis inhibita effrenior fit et vice versa [1]). Omnes glandulae lymphaticae ex viru resorpto et irritatione consensuali intumescunt et summos inducunt dolores; ossa fragilia faciuntur et mox febris lenta enascitur, hecticam gradu vincens, et continue urgens aegrotantes.

Morbo provectiore magis magisque augetur dyscrasia illa cancrosa, quae mortem provocat, nisi largae haemorrhagiae ex vasibus sanguiferis, sanie cancrosa erosis, trucidavissent aegrotam. In finem morbi summa

---

1) F. A. Weber de causis et signis morborum lib. II. sect. 1.

totius corporis macies adest, cutis nitens helvola, cinerea, corrugata; aegrotae facies plusminus hippocratica adspicitur, quae horribilior redditur crebris blepharophthalmiis, pessimo dyscrasiae cancrosae symptomate. Ex partium internarum functione laesa exoriuntur tussis sicca, maxime vexans aegrotas, digestio perturbata, quae apparet ex inappetentia ciborum et etiam ex appetitu perverso. Praeterea vexantur aegrotae summis colicae doloribus, tenesmo, urinam rubram olidissimam emittunt, quae refrigerata, deposito sedimento rubro, albescit. Alvi excretiones foetidissimae sunt. Moriuntur hoc morbo laborantes tabe cancrosa, lipothymiis, convulsionibus, agrypniis, ex immanitate dolorum, haemorrhagiis ex carcinomate profusis, summa debilitate, diarrhoeis et sudoribus colliquativis et febre lenta summa.

Accuratior cancri occulti diagnosis.

Magni est momenti in diagnoscendo cancros mammarum occultos ab aliis tumoribus mammam occupantibus, qui saepius lancinantem praebent sensum, ut in cancro occulto dolor ille prius sentiatur, quam glandulae axillares tumidae observentur, in aliis vero tumoribus simul cum dolore comparente glandulae axillares intumescant. Praeterea ex tumoris origine atque decursu satis patebit cancri occulti praesentia. Praestantissimae quibus confunditur cancer affectiones, sunt tumores lymphatici, nodus lacteus, induratio scrophulosa, tumores saccati et fungus medullaris.

1) Tumor lymphaticus duritiem prae se fert elasticam et fluctuantem, ex laesione externa exoritur, in tangendo sensilis est, et in ulcus abit fistulosum, lympham puriformem odore carentem secernens. Neque mammae tegumenta rugosa, neque papilla retracta adspiciuntur.

2) Nodus lacteus similem praebet cancri occulti duritiem, quae vero minime eburnea dici potest, quum lac contineat tumor[1]). Semper post partum exoritur ex denegata vel suppressa lactatione et saepius sua sponte evanescit sub lactatione, graviditate nova et menstruis debitis. Quae

1) Richter's Anfangsgründe etc. Bd IV. S. 420.

quidem non observantur in illis ex lactis in telam cellulosam effusione exortis [1]). Omnes semper mobiles, nunquam tela cellulosa indurata circumdati sunt [2]); medium obtinent prope ad papillam locum, neque cutis rugosa, neque papilla retracta adspicitur, neque dolores prurientes, lancinantes sentiuntur, et, tumore rupto, pus genuinum cum levamine effunditur.

3) Induratio scrophulosa duritiem magis elasticam praebet et mobilis permanet. Tumor scrophulosus semper conflatus est ex pluribus glandulis adunatis, a febre quadam comitatur, si in abscessum abeat; nunquam tantos efficit dolores lancinantes. Glandula conglobata tantum occupatur atque quidem ejus parenchyma, quod valde intumescit et increscit, minime vero functionem abolet, nec non cum damno partis affectae ingravescit. Praeterea diathesin scrophulosam ex totius corporis habitu agnoscimus.

4) Tumores saccati formam rotundam, duritiem molliorem elasticam praebent et fluctuatio in iis sentitur, quae eo distinctior, quo tenuior et eo incertior, quo crassior est saccus. Hydaticum tumorem, qui cancrum referebat, in mamma observavit de Haen [3]) Ch. Bell. [4]). Hujusmodi tumores semper increscunt et mobiles sunt, rarissime tantum in ulcus abeunt, et eorum durities variis locis variat, hic mollior, illic durior, nunquam vero lapidea est.

5) Fungi medullaris tumor facile comprimendus est, elasticus, fluctuans, dolores multo mitiores sentiuntur, tegumento rupto effunditur magna humoris sanguinolenti copia et mox excrescentiae fungosae adspiciuntur, quae volumen ingens assequuntur. Morbi decursus et reactio in organismum multo sunt rapidiora, praeterea infantilem et juvenilem aetatem magis occupat [5]).

Ad tumores, mammam quoque affectantes huc quoque pertinent illi, ex induratione benigna exorti, qui maxime observantur inde a pubertate

---

1) Sauvages Nosologie method. Tom. III. pert. I. p. 194.

2) Benedict's Bemerkungen über die Krankheiten der Brust- und Achseldrüsen §. 132. — Sammlung auserlesener Abhandl. Bd XVIII. S. 258.

3) rat. med. Tom. VII. p. 128.

4) Medico-chirurgical Transactions Vol. XII. p. i. Tab. II et III.

5) Neue Sammlung auserlesener Abhandlungen etc. Bd I. S. 700.

ad annum tricesimum, quorum dissectio anatomica multos ostendit lobulos, tela cellulosa inter se conjunctos, qui dissecti speciem praebent mammae vitulinae dissectae[1]). Praeterea illi, qui concretiones cartilagineas, lapideas continent[2]) atque illi ex causa venerea exorti[3]).

Carcinoma ab aliis ulceribus maxime degeneratis et neglectis optime distinguitur decursu morbi. Nusquam summi illi sentiuntur dolores prurientes, lancinantes, uti in carcinomate. Omne ulcus cum levamine symptomatum exoritur, in carcinomate vero atrociora evadunt symptomata. Praeterea nullum ulcus ichorem secernit, foetorem istum specificum spargentem, qui omnes partes vicinas terribilem in modum corrodit et destruit.

Prognosis cancri.

Cancer in istorum morborum numerum rite refertur, qui mirandum in modum omnibus remediis adhibitis obsistunt. Quibus apparet, ut hujus morbi prognosin dubiam et pessimam tantum stabilire possimus, praecipue quum primarius necessariusque hujus mali effectus sit incapacitas partis affectae ad debitam suam functionem; qua efficitur partium vicinarum et postea totius organismi laesio. Aegrotae non solum misere intereunt, sed etiam, donec mors necet, vivunt. Pessiman certe praesagire debemus prognosin, si dispositio corporis cancrosa pateat, totius corporis cutis helvola cinerea, livescens adspiciatur, cancer versus terminum menstruationis insurgat et glandulae axillares quoque affectae adspiciantur[4]) et omne brachium lateris cancro affecti intumescat, ex glandularum axillarum affectione cancrosa. Porro, si varia jam adsint virus in reliquum corpus repti symptomata e. g. carcinomata aut scirrhi in aliis corporis partibus; tussis sicca, pulmonum affectionem indicans; crebrae blepharophthalmiae et rheumatismus pertinax. Cancer mammae in morbis

1) A. Cooper Lectures on Surgery Vol. II. p. 214.
2) Voigtel's pathologische Anatomie Bd I. S. 176.
3) Richters Anfangsgründe der W. A. Bd IV. S. 418. — Sammlung auserlesener Abhandlungen etc. Bd. XVIII. S. 255. — Bierchen vom Krebse etc.
4) Bierchen vom Krebse etc. — Le Dran Memoir de l'Academie royal de Chirurg. Tom. III. §. 5. p. 37. — Cruikshank S. 126.

perniciosissimis et maxime dolentibus et etiam in difficillimis sanatu obtinet locum; ad morbos omnino insanabiles haud referri potest, quum plura exstent exempla illustrantia, ut interdum sanatus sit cancer. Utplurimum vero omnia remedia palliativam tantum proferunt curationem et prius tardiusve aut in ipso ubi debellatus fuit, aut in alio loco denuo progignitur cancer. Major nobis affulget sanationis spes, si corporis conditio optima, aetas minus provectior est et vitae conditio omnium causarum nocivarum abolitionem sinit. In universum cancer idiopathicus melior est, secundario et scirrhus melior, quam cancer occultus et hic melior, quam carcinomata. Cancer per annos bene multos interdum occultus permanet, interdum vero cito exulceratur. Tolerabile recte dicitur scirrhi stadium, saepius enim ad vitae usque finem perdurat; benignum vero atque innocens nunquam dici potest, quum cancer malum sit gliscens et facillime in carcinoma abeat. Praeterea solitarius melior est multiplici, vel si scirrhi in aliis partibus simul adsint. Cancer superficialis melior est profundo, sanationis aptior et minoribus vexat doloribus, si in carcinoma transeat. Quo major vero, quo diutius duravit, quo magis partibus vicinis adhaereat, eo magis periculum. Pessimum est, ubi chordae tensae magis, quam tumori adaequat; ubi mammae volumen valde imminutum, ejus integumenta rugosa et papilla retracta adspiciuntur; ubi in cancro occulto enascuntur dolores prurientes, pungentes, lancinantes, versus sternum vel scapulam tendentes; ubi venae tumoris vicinae tumidae, atrae et varicosae, et glandulae axillares tumidae sunt. Quando aegrotae, cancro mammarum laborantes, vehementi lumbagine et fluore albo vexantur, metum habe carcinomatis uteri.

Carcinomatis prognosis pessima est, quum nulla nobis adsint remedia specifica, et morbi ingenium valde sit incognitum. Carcinoma in latitudinem partes vicinas arrodens melius est, quam quod in altitudinem corrodit. Quo majus carcinoma; quo magis fundus ejus sordidus, lardaceus et fungosus est; quo foetidior ichor atque quo acrior secernitur; quo saepius copiosus funditur sanguis ex vasibus arrosis; quo pejor corporis conditio; quo magis dyscrasia cancrosa manifesto patet; quo complicatius est ulcus, praecipue cum lue venerea; eo pejorem morbi eventum et eo certius mortem appropinquantem praenuntiare debemus.

Cura.

Si scirrhum accuratius distinxerimus, necesse est, ut omnes causas nocivas cautissima manu amoveamus, neque diurna remediorum externorum, sive resolventium, sive emollientium applicatione vexemus aegrotas, quibus uti Hippocrates jamjam monuit, scirrhum sedetiosum reddituri simus. Remediorum illorum tot a scriptoribus laudata sunt, ut vix nobismet ipsis convenire possimus de remedio primum applicando et de optimo remedio. Nam si scriptorum opera pervolvamus, apparet, ut ab hoc remedium dicatur optimum et etiam specificum, quod ab alio omnino refutatur.

Summa observationem de remediis externe adhibitis in eo convenit, ut scirrhi veri transitum in cancrum occultum accelerent neque minimam perficiant curam radicalem, sed potius morbum reddant atrociorem. Quae ex ipsis scriptorem sententiis probantur, commonentibus, ut a remediis illis abstineamus, si scirrhum remediis resolventibus, per aliquod tempus applicatis, dissolvere, aut emollientibus ad suppurationem perducere non possimus, quia tunc transitus in cancrum occultum acceleretur tantum. Quamobrem multo melius erit, si omnia remedia externa aboleamus et mammam affectam obtegamus vel pellibus mollibus e. g. pelle felina, olerina, vel lanae carptae stratibus super stratus, quibus optime impedimus, quo minus injuriae externae infestent partem. Simul necesse est, ut corporis fabricam sustentemus bonam, aut, quantum fieri possit, meliorem reddamus hac vel illa totius organismi alteratione methodica. Quoad finem diaeta sit accommodata, parca, tenuis, non relaxans, his vel illis medicamentis adjuta, prout cutis functio laesa, digestio perturbata, mensium fluxus irregularis vel suppressus sit vel aliae urgeant affectiones morbosae.

Stadii secundi curationis causa duae nobis obveniunt indicationes, prima cancri curatio radicalis, secunda palliativa. Ex cancri vero indole apparet, ut nulla sit cancri occulti sanatio radicalis, quare de palliativa hic tantum agam, cujus praestantissimam dico omnium injuriarum abolitionem, et totius organismi in melius commutationem. Ad palliativam curam quoque referri potest tumoris exstirpatio, quae, sin etiam cancri denuo erupti decursum atrociorem reddat, tamen per longius temporis spatium, magnam affert

dolorum atque symptomatum levationem. Quare contendere posse mihi videor, ut optima atque unica aegrotarum salus in sola exstirpatione consistat, quae quidem radicalem sanationem rite ut polliceamur non sinit, attamen optimum praebet levamen; praecipue si corporis vitaeque conditio bona et tumoris exstirpatio quam primum suscepta sit. Fallax recte dicitur haec operatio, modo enim optimis sub auspiciis suscepta omni prospero eventu caruit; modo malis sub auspiciis prosperum animadvertimus eventum. Cujus causa corporis vitaeque conditio est, quo magis enim dispositioni ad cancrum favet, eo prius, et quo minns eo tardius, vel in ipsa, ubi exstirpatus fuit, vel in alia renascitur cancer; semper quidem renascitur. In universum nunquam tanti erit momenti tumoris non cancrosi negleta exstirpatio, quanti erit cancri oeculti, si radicalem efficere velimus sanationem; sin vero levaminis causa exstirpetur cancer occultus, optimum sane dicitur remedium.

Si exstirpationem tumoris aut totius mammae amputationem suscipiamus, necesse est, ut maximam intendamus attentionem in partes cancro vicinas, ne minimum quidem remaneat residuum morbosum, quare melius est, ut nimium, quam ut parum abscindamus; praeterea ut cuti parcamus, quantum fieri possit, quo per primam intentionem sanari possit vulnus. Sin tamen proveniant e vulnere excrescentiae, aut vulnus non sanetur, indicata est remediorum causticorum applicatio. Quibus famulantibus ipsa tumoris exstirpatio a pluribus laudata est, quae vero tantum fieri potest, ubi cancer est cutaneus, nec non profundiorem occupat mammae glandulam. Remedia huc pertinentia sunt: Acidum sulphuricum, acidum muriaticum, acidum pyrolignosum, cauterium actuale et arsenicum. Quae omnia non solum efficacissime, sed etiam saepissime applicari debent, ut neque minimum quidem remaneat residuum morbi.

In carcinomate arsenici applicatio externa tantam praebuit utilitatem, ut minus abhorreamus a morbo; forsan ut arsenico simul interne adhibito radicalem afferamus sanationem, quum plura exstent exempla, quae salubrem ejus applicationem probant. Experientia docuit arsenici applicationem optimum esse cancri aperti remedium, quare necesse videtur, ut etiam in prioribus ejusdem morbi stadiis afferat utilitatem, uti mercurius in omnibus luis

venereae stadiis atque speciebus eandem praebet utilitatem [1]). Qua vero ratione optime adhibeatur arsenicum, posteris forsan reservatum est, si demum plures collectae sint observationes, e quibus certae stabiliri possunt indicationes et applicandi rationes. Arsenicum externe applicatum non solum virus cancrosum ratione chemica solvit, sed etiam pseudoproductiones ejus corrodit et carcinoma in ulcus commutat simplex. Quod veteribus jam notum fuit; et praestantissima ad cancrum sanandum arcanorum pars fuisse videtur arsenicum, cujus vero optima in carcinomatibus applicandi ratio diu incognita fuit, donec Hellmund optimum applicationis modum edocuit, quem depromsit ex illo Bernardi Cosmii, qui pulverem huncce sequenti ratione applicavit.

Rec. Cinnabaris artefactae unc. j.
Sanguinis Draconis unc. β.
Arsenici albi.
Cineris solearum calceament aa dr. jj.
M. f. Pulvis subtilissimus.

A quo sufficiens quantitas, cum aqua aut melius cum saliva aegrotae ad pastae consistentiam commixta, spathula famulante carcinomati, linteis siccis bene exsiccato, ita illinitur, ut margines ejus simul obtegantur. Sanguifluxus ex carcinomate, hac applicatione exoriens, remedio denuo applicato sistitur. Modo vehementes sentiuntur dolores, per plures horas perseverantes; carcinomatis ambitus intumescit, et erysipelatose inflammatur. Quae phaenomena specierum aromaticarum et lactis tepidi fomentationibus mox tollenda sunt. Quo saeviora illa, eo meliorem sanationis eventum exspectare licet. Hoc remedio applicato enascitur eschara, quae diebus octo aut quatuordecim aut viginti quatuor praeteritis, sua sponte discedit et ulceris fundum relinquit bonum; si non, remedium denuo applicandum est, quae toties repetuntur, quoties ulcus sordidum adspicitnr. Quo tardius eschara illa sua sponte dejicitur, eo melius. Ulcus hac ratione purefactum unguento digestivo adligitur, cui admixta sunt tinctura Myrrhae aut mixtio ex

1) Le Febure bewährtes Mittel, den Krebs zu heilen, aus dem Französischen übersetzt von Junker.

argento nitrico soluto et ex Laudano liquido Sydenhami; melius adhuc ulceris sanatio perficitur unguenti sequentis applicatione:

Rec. Ungt de Styrace.
Pulv. Carbon. Tiliae aa drachm. j.
Camphorae.
Myrrhae aa drachm. j. — drachm. jj.
Ol. Therebinthinae q. s. ut f. Ungentum.

Si cicatricem ulcus non ducat, denuo applicatur remedium illud arsenicale, quia virus carcinomatosum non omnino sit exstinctum.

Rust [1]), illam applicationis rationem probans, remedium Cosmii descripsit

Rec. Cinnabaris artefactae drachm. jj.
Cineris solearum calceament. gr. vjjj.
Sanguinis Draconis gr. xjj.
Arsenici albi scr. jj.
M. f. Pulv. subtilissimus.

Hellmund aliam pulveris Comii parationis et applicationis methodum edocuit [2]). Recepit:

Arsenici albi scr. jj.
Cineris solearum vetust. gr. xjj.
Sanguinis Draconis gr. xvj.
Cinnabaris factit. praep. drachm. jj.
M. f. Pulv. subtil. S. Pulvis Cosmii.

Hujus pulveris drachmam unam et unguenti narcotico-balsamici [3]) unciam unam commiscuit et signavit unguentum arsenicale et hoc unguento mollem linteam carptam illinivit, quam carcinomati, accuratissime abstergato ita imposuit, ut omnes ulceris striae hoc remedio tangantur et ejus labia etiam obducantur, quae, cum valde promineant prius inunguntur

---

1) Helkologia II. S. 108.

2) Hellmund's Methode, das Cosmische Mittel anzuwenden. Aus den Acten zusammengesetzt von Dr. Bretscher. Rust Magazin Bd XIX. Heft I. S. 55.

3) Bals. peruv. nigri. Extr. Conii maculati aa unc. β. Plumb. acetici pur. crystall. scr. jv. Tinct. Opii croc. scr. jj. Ungt. cerei unc. jv. M. l. a. exactiss. f. Ungt. S. Unguentum narcotico-balsamicum.

et tunc lintea carpta inuncta obteguntur. Haec adligatio semel de die renovatur et crustae exortae amoventur. Brevi post hujus unguenti arsenicalis applicationem aegrotae sentiunt dolorem leniter urentem, qui ad summum dolorem modo increscit. Pro gradu dolorum et inflammationis advenientis efficacius redditur unguentum pulvere Cosmii, aut mitius, unguento narrotico-balsamico admixto. Die tertio vel quarto praeterito imminuuntur dolores, intumescentiae, rubor, et carcinoma increscit et deteriorem induit formam. Die quarto vel quinto carcinomatis fundus fungosus lardaceusque evadit putridus et magnam secernit ichoris copiam. Die quinto vel sexto adspicitur fundus, crusta nigricante, albescente, molli et humida obtectus, quae amoveri non debet et cui insuper imponitur linteum carptum unguento arsenicali inunctum. Prout decursus hic lentior vel celerior adsit, efficacius vel mitius redditur unguentum. Carcinomate, hac ratione per sex vel septem dies, adligato, et crusta continua et contigua exorta, adligatur ulcus linteo aut linteo carpto, unguento illo narcotico-balsamico inuncto. Die quartodecimo aut quindecimo crusta illa humida, sua sponte dejicitur et totius carcinomatis fundus bono pure obtectus est. Quamdiu bona haec conditio permanet, tamdiu unguento balsamico adligatur ulcus. Sin vero haec vel illa arcinomatis pars sordidam induat speciem, adligatur denuo unguento arsenicali, usque dum crusta obtegat carcinoma et vice versa. Quae continuantur ad totius ulceris sanationem, in universum die tricesimo aut quadragesimo praeterito consequentem.

Certum quoddam diaetae regimen, durante cura, non praescripsit auctor. Si dyscrasia quaedam scrophulosa, herpetica simul adsit, illa adordinantur remedia, unicuique statui accommodata. In aegrotis ereticis inflammatio et febris tantum saepius assequuntur fastigium, ut singularem poscant curam.

Le Febure, Rust, Selle et alii valde suadent internam arsenici applicationem, neque solum in cancro aperto, sed etiam in cancro occulto, et Le Febure sequentem internae applicationis rationem proposuit:

Rec. Arsenici albi gr. ij.
Sacch. albi dr.
misc. exactiss. et solve in
Aq. destillatae libr. ij.

Hujus mixturae cochlear magnum aegrotae semel de die hora matutina porrigitur, cui additur eadem lactis copia et Syrupi Diacodii drachma semis. Priusquam hora una praeterita sit, minime licet aegrotae, ut cibum potumve sibi assumat. Haec dosis eadem permanet per octo dies, tunc hora matutina atque vespertina porrigitur cochlear magnum. Quatuordecim diebus praeterlapsis ejusdem mixturae porriguntur cochlearia tria de die, atque quidem eadem ratione, quam supra commemoravi. Dosis in octo dies augetur et continuatur, usque dum aegrotae hoc malo sanatae sint. Si cochlearia duo ter de die porreximus, Arsenici grana tria ad quinque in aquae destillatae libris duabus solvuntur. Major vero arsenici dosis interna non convenit. Quovis die octavo aut duodecimo porrigitur lene laxans e Manna vel Rheo vel sale amaro. Pro potione praescripsit serum lactis, aut decoctum radicis Altheae. Alvi obstructiones clysmis tolluntur. In arsenici applicatione interna strenue evitentur necesse est ciborum potuumque spirituosorum usus atque abusus. Diaeta sit parca, tenuis, minime vero relaxans; optime conveniunt juscula, e carne bovina, vitulina aut gallinacea parata. Pultem Oryzae cibosque e lacte paratos, olera non inflantia, parvam carnis coctae, frixae et assae copiam sibi assumere possunt aegrotae. Pomorum maturorum usus non contradicitur arsenico applicato. Curatione finita haud incongruus erit frigidarum aut calidarum regni fossilii aquarum usus.

Cancrum occultum debellavit Le Febure hac arsenici applicatione interna, conjuncta cum applicatione externa, sequenti modo:

Rec. Arsenici albi gr. ij–viij
solve in
Aquae libra una
S. externe.

Interna arsenici applicatio saluberrima erit, ubi omnis organismus ex viru cancroso resorpto, infectus apparet; ubi dispositio cancrosa agno-

scitur et dispositio haereditaria adest. Forsan ut sola Helmundi applicandi ratione, conjuncta cum applicatione interna, a le Febure proposita, omnem cancrum radicitus sanaturi simus. Experientia duce eo mox pervenimus, ut cancrum arsenici ope, aeque ac luem veneream ope mercurii sanemus, praecipue quum aegrotae hoc malo laborantes multo majorem sibi assumere possint arsenici copiam. Ejus usui minime contradicunt totius corporis macies, debilitas et animi demissio, nec non febris quaedam ex viru resorpto exorta, quae optime tollitur tempestiva arsenici applicatione. Cancer ex certa quadam corporis dispositione exoritur, quare solis remediis externis minime amoveri potest et tantam prae se fert horribilitatem, ut bona pace arsenicum applicare possimus.

Est ne mercurius incauta manu applicatus venenum atroissimum et ejus cum grano salis applicatio optimum luis venereae remedium? — Morbi venerei sicut morbi cancrosi, ingenio nobis incogniti sunt, et tamen experientia duce illuc pervenimus, ut luem veneream sanare possimus; cur non eadem ratione cancrum debellaturi simus Arsenico, ejusque praeparatis. — Nescimus quidem adhuc optimam applicandi rationem, at experientia duce illuc certe pervenimus, praecipue cum longa jamjam observationum series illustret, ut omnium ad cancrum remediorum praestantissimum sit Arsenicum.

THESES.

1) Macrobiotice est ars misere vivendi.

2) Dispositio ad morbos morbus ipse.

3) Febris hectica ex puris resorptione non oritur.

4) Hydroses ex arteriarum morbo gignuntur.

5) Remedia utilissima quoque periculolissima sunt.

6) Urethritidis et ulceris venerei non idem contagium.

7) Phthisis pituitosa in exulceratam transire nequit.